



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Genæ & Labia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

interior, quæ illic tenuissima est, & amplissima, propterea quòd omnes lamellarum anfractus subiens, multis modis circa illas complicata, in angusto spatio multam habet superficiem, quod quidem non parùm conducit ad perfectionem odoratùs; sic enim plures hujus membranæ partes corpusculis odoriferis feriuntur, fitque vividior sensatio; & inde est, quòd animalia subtilioris odoratùs quàm plurimis hujusmodi laminis prædita sint, uti canes venatici: paucioribus lepores, vulpes, feles; homo paucis; quod maximo argumento est, membranam istam esse præcipuum odoratùs organum: & certè si adverso conspiciatur lumine, innumeris apparet conserpta nervulis. Ita porrò fabricatum est odoratùs organum, ut odorifera corpuscula simul cum aëre inspirata hanc membranam feriant, atque etiam aliquamdiu detineantur in illa intra lamellas & poros; inde fit, quòd non statim pereat odorum sensatio. Nasus non parùm confert ad faciei venustatem, ad vocis sonum, & ad indolis cognitionem; inde invaluit proverbium, quòd vir prudens & sagax dicatur vir nalutus.

Genæ & Labia.

Geminæ sub oculis faciei partes inter nasum & aures, & mentum expansæ, veteribus genæ dictæ sunt, quia in iis pili gignuntur: dividuntur in partem superiorem & inferiorem; superior sub oculis inter nasum & aures leviter prominens, ac sapiùs rubens, faciei circulus, seu malum aut pomum faciei nominatur: hæc Plinio pudoris sedes censetur, quia ea pars in pudore protinus erubescit. Inferior, laxiorque pars, quæ à retento spiritu inflari potest, bucca nominatur; istius verò pars utrinque prostans à labii cavitate ad latera, Græcè *Mystax* dicitur, quo nomine subinde etiam nunc eo in loco barba appellatur.

Sunt labia duo, quorum mediâ rimâ os concluditur: horum partes extremæ prominentes exteriùs, & quæ rubescunt, prolabia appellantur; pars verò, quæ sub inferiore labro in acumen protenditur, mentum dicta est. Consistant labia ex carne molli & fungosa, cui cutis cum musculis ex arte miscetur: nervorum propagines exquisitum sensum labiis conferunt: arteriæ verò inter cutem, & carnosam membranam dispersæ sanguinem nutritium tribuunt, cui debetur purpureus ille labiorum color, pulchritudinis & sanitatis nota.

Lingua, os, Palatum.

Lingua, quam volunt nonnulli à lingendo ita dictam, primum gustus organum est, cibique potusque diglutiendi adminiculum. Oblonga est, & in radice insigni crassitie prædita; ad extremum verò multò tenuior: ejus membrana, exterior præsertim, quæ superiori linguæ planitie imponitur, multum est porosa, & in hominibus mediocriter lævis, in plerisque brutis aspera, atque lineolâ per mediam longitudinem excurrente in duas partes divisa. Porosa est, ut res gustandas salivâ dilutas interiùs per suos poros transmittat: aspera, ut suo ad palatum & genas affricu salivam exprimat, corpora solida faciliùs dividat, subjectasque papillas nerveas, quæ sunt proprium gustus organum, à contactu duriorum partium alimenti prohibeat. Hæc membrana in multis quadrupedibus plurimis velut aculeis ita exasperatur, ut, quæ lingunt, sæpe dilacerent, ut patet in leone, apro, & etiam in bove.

Sub hac exteriori membrana latet altera tenuis & nervea, totam linguæ substantiam undique proximè circumdans, & plurimas habens exiles prominencias,